



Zu Königlichem  
Leipzigens. Bibliothek  
gehörig.

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



D. O. M. A.  
*Quæstiones Theologicae,*

De

FANATISMO SVENCK-  
FELDIANORVM ET ALIORVM,  
DE VERBO DEI SCRIPTO AC  
PRÆDICATO;

*Itemq;*

CHILIASTARVM VETERVM AC RECEN-

tium, de ultimo, quod sibi hoc ultimo seculo

somniant, gratiæ seculo;

*Quarum veritatem,*

PRÆSIDE

CUNRADO DIE-  
TERICO, THEOLOGIAE

Doctore, Ecclesiarum ulma-

narum Superintendente,

*In publico congressu Ecclesiastico ad d. 24. Octob.*

*pro viribus asseret*

M. JOHANNES *L*berkin

VLMANUS, ECCLESIAE JUNGIN-

gensis Minister.

✽( )✽

RECVSÆ

STETINI Pomeranorum, Typis Rbetianis

ANNO MD. DC. XXIII.





## LECTOR BENEVOLE,

**N**e instituti nostri sis nescius, scito, motam esse semestri praterito, inter ex-  
ros quosdam Ecclesie ministros, de Questionibus quibusdam fanaticis contro-  
versiam, qua de Ministerii nostri iudicium amice efflagitatum est. Eas ipsas  
nunc in publicum non sine causa profero, non tam ut aliorum de iis sententias, in mayo-  
rem veritatis certitudinem, explorem, quam ut Ministros Ecclesiarum nostrarum de  
fanatismo hos maturè pramoneam. Id ut faciam, fanaticorum jubet temeritas, secu-  
li huius monet fatuitas, temporis urget necessitas. Nil enim majori conatu, in effecta  
hoc effecti huius mundi senectà, Satanam agere videmus, quam ut fanaticos iam  
alios damnatos ac proscriptos, quāto potest impetu, per Suenckfeldianos, VVeigelianos,  
Chilias, Enthusiastas, fecis huius alios, tanquam conductitios succenturiatores suos,  
revocare, eorumq; phantasmatis quoscunq; infatuare queat. Idq; non apud externos  
solum, sed & in medià Alemania nostra, etiam inter eos, proh dolor! quod scimus &  
merito dolemus, qui sinceri Ecclesiarum ministri & dici & haberi volunt. Proban-  
di igitur nobis erunt spiritus isti vel maximè, & simpliciores de iisdem pramonendi in  
tempore, ut cabere eos possint tutius, & fanaticos eorum è solidis scripturae funda-  
mentis refutare rectius. Hec instituti nostri ratio est, qua cognitā, benè nobis  
precare, & Deum pacis, ut Satanam sub pedibus nostris brevi con-  
terat, pie nobiscum orare ne desiste, atq; sic Salve,  
Lector benevole, ac Vale,







*Quaeritum est I. Quanam sit Casparis Suenckfeldii de  
verbo DEI scripto & praedicato genuina sententia?*

**D**E constanti & invariata Suenckfeldii de ver-  
bo DEI sententia, rectius aliunde non, quam e pu-  
blicis ejus scriptis, & verbis, quibus constant, genui-  
nis ac propriis, iudicare possumus. I. igitur Suenck-  
feldius in genere dimicat, per verbum DEI in scri-  
pturis non intelligi verbum scriptum & praedictum;  
sed Filium Dei, Iesum Christum, *Epist. 3. & alibi passim*. Fanaticam i-  
stam & stolidam opinionem, cum refutaret Anno Christi 1554. Mat-  
thias Flacius Illyricus, edidit peculiarem de verbo Dei libellum Suenck-  
feldius, in quo crambem istam suam bis coctam reponit, & contra Il-  
lyricum ineptis ac insulsis ratiunculis, Nullum aliud verbum Dei pro-  
priè & esse & dici, quam Filium Dei, Iesum Christum obtinere frustra  
satagit. *Videatur libell. Vom Worte Gottes / per tot.*

II. Verbum scriptum & praedictum inefficacem literam, merum  
sonum, signum, vocem humanam, &c. indigitat, *in praefatione de Evan-  
gel. & fol. C. itemq; de verbo Dom. passim*. Evangelium praedictum non-  
dum esse rectum Evangelium, sed vix typum, umbram & testimoni-  
um veri & vivi Evangelii Christi affirmat, *de Evangel.* Evangelium, de quo  
Paulus ait, virtutem esse ad salutem omni credenti, non esse orale aut  
praedictum Evangelium, sed aeternum essentiale Evangelium Dei (*das  
eintze wesentliche selbstendige Evangelium vñ Wort Gottes*) Christum,  
puta, ipsum, *in praefat. de Lutheri Evangelio*. Idololatriam novam vo-  
cat, si verbum orale sive praedictum, pro verbo Dei vivificante ven-  
diderit, *lib. de verbo Dei fol. 25*. Eoq; qui hoc asserunt novum sibi ido-  
lum e scriptura fabricare, ait, cum tantundem, ac si Deus ipse nobis lo-  
quatur, esse dicant, *ibid.* Scripturam nusquam docere, quod pro verbo ac  
ore Dei habenda sit, quodve vitam, regenerationem, fidem & conver-  
sionem in ea quaerere vel invenire debeamus, *ibid fol. 29.*

III. Distinguit inter verbum Externum & Internum. Externum ei  
est verbum praedictum vocale & ministeriale, quod sonum esse dicit,  
vocem & literam e terra venientem, & nihil amplius posse, quam ut  
externi hominis aures repleat, & aeternum vivumq; verbum Dei, Ie-  
sum





sum Christum, notum faciat. Idem à carnalibus auribus & naturalibus hominibus audiri, literis scribi & legi. *Internum* ei est, quod Deus ipse in cor hominis (interno homini) arcana inspiratione loquitur: *Vel*, quod spiritus S. inspirat: *Vel*, est spiritus è Cœlo veniens, afferens secum virtutem, & replēs corda fidelia, internum hominem illuminās, docens & convertens, *Epistolari 1. epist. 90. passim.*

IV. Verbum externum, orale nimirum & prædicatum, non esse medium salutis, nec quicquā ad fidem & salutem efficaciter operari, multis disputat, *allegata 90. Epistola. fol. 764. per totū.* Ubi inter alia hæc habet: verbum externum esse vocem humanam, sonum vel literam, in qua *nulla* virtus divina sit inclusa, nec ad eam alligata, ideòque nec verbum externum eam ipsam cordi ingerere, nec conferre posse, non solum quando Petrus & Paulus conciones habebant; multò minus nunc: *sed etiam in Christo ipso, Beym Herren Christo selbst. fol. 764.* Salus per auditum verbum, tanquam per instrumentum & medium, nō confertur vel infunditur, *ut de nicht eingestößt. fol. 764.* Antichristi ministri & pseudo Apostoli sunt, qui docent, per verbum orale homines salvari ideòq; non minus ac Satan ipse cavendi, *fol. 774.* Verbū externum *non* est medium salutis, *Ibid. in margine.* Evangelium prædicatum *non* est potentia Dei, *f. 779.* Concludit deniq; tres esse crassos errores eorum, qui dicunt; 1. verbum à se prædicatum vocale, sit vivificum verbum Dei. 2. Quod sit potentia Dei ad salutē. 3. Quod Deus internè in anima, per externa media operetur: imò quod externum semper & necessariò debeat præcedere, quasi sine eo salutem non possimus consequi, *fol. 780.* Eadem in confessione sua *cap de ministerio Ecclesie*, inculcat. Fatetur enim se in officio justificationis & salutis, hominum ministerio internè, in eo loco quo Christus regnat, nihil tribuere, *fol. 8. a.* Ministerium; ministros & creaturas, *nihil* divini cordi conferre posse, *fol. 8. b.* Scripturā non docere, ut vel vitam, vel regenerationem, fidem, pœnitentiā & conversionem, apud illam vel externū verbum prædicatum quærere vel invenire debeamus, *de verbo fol. 29.* Similia effutit scriptis alijs. Scripturas biblicas, ait, neminem à Deo doctum, justum, sanctum & beatum reddere posse. Illud enim insolidum adscribendum Deo, neq; ipsum hoc per scripturā, vel concionem efficere, sed per verbū suum vivum, in spiritu sancto, *de verbo fol. 3. 6.* Maximā remeritatem judicat, vel verbo ministeriali, vel concionibus, vel prædicatoribus, hoc quod folius Dei, Christi & spiritus ipsius opus est, tribuere, eaq; inter Deum & hominem media,



dia, instrumēta divina effingere velle, Als ob Gott/wie ein Händwercksmann vnser seeligkeit durch eusserliche mittel vnd Werkzeug würck: vnd verrichte/de verbo fol. 3. 6. & 4. a. Non verbis nos salvari asserit, sed rebus, usq; non terrenis sed cœlestibus, de Evangel. fol. C.

V. Verbum internum solum fidem, regenerationem, justificacionem ac salutem operari, docet, absq; ullis omninò mediis, allegat epistola 90. E pluribus hæc pauca cape: Oportet ut Deus ipse absq; omnibus externis mediis per Christum animam tangat, fol. 771. idque *arcana inspiratione* per Spiritum S. fol. 775. In Confess. Cap. vom Dienst der Christlichen Kirchen/Christum ad internâ cordis, animæ & conscientiz renovationem Nemine nisi Spiritu S. & sua gratia uti, dicit fol. 8. 6. Oportere quemlibet ad Christum fontem pervenire, & ibidem absque medio de plenitudine ejus gratiæ fluentia haurire. fol. 9. 6. Fidem suam & confessionem cum Lutheranorum Prædicantium nullo modo concordare posse, ut qui influentiâ gratiæ Christi per externa media conferri velint, fol. 10. a. Scripturam nuspia de mediis loqui, sed singulos ad Christū absq; medio ablegare, *ibid.* Cui perinde sit vel *apud* ministerium, vel *absq;* ministerio, per Spiritum suum, qui sit Spiritus gratiæ, operari, fol. 9. a. *Der da geisset/wa vnd wann er will* fol. 10. b. Breviter: Cursum gratiæ omnium primo, à Christo capite in corpore Ecclesiæ ad ædificationem defluere, ejusdemq; causam, incrementum & finem esse oportere, concludit, fol. 11. a.

VI. Si quærat, quid ergo verbum externum, sive lectum sive prædicatum, conferat? Respondet, institutum illud esse à Deo propter externum hominē, ut scilicet, imbecillitati carnis nostræ tantum seruiat. Ut 2. Christo *apud* actionem salvandi hominis inserviat. Ut 3. Christum Iesum, qui principalis in divina actione est, monstrat. Ut 4. eundem notum faciat, Ut 5. de eodem testetur. Ut 6. beneficia ejusdem annunciet. Ut 7. hominem externum ad Christū ire incitet. Ut 8. eundem de interiori operatione Dei attendenda, & beneficiis ejus de prædicâdis exuscitet. Atq; sic deniq; 9. illi ipsi actiones Dei hac occasione innotescat, Vide allegat. Epistol. 90. & Confess. Cap. Vom Dienst der Christlichen Kirchē / fol. 8. b. Alibi sic loquitur: *similitudo & imago* verbi veritatis, in *testimonium*, in doctrinam & commonefactionem scripta est, quæ scriptura dicitur, in libell. Vom Wort fol. 4. a. ubi & scripturam *similitudinem & imaginem* nominat. Nova introducitur. *Idolomania*, si *pictura* sive *imago* pro vita, scriptura pro iis reb; de quibus testificatur; signum & nota, pro veritate; verbum orale humanū





pro verbo Dei vivificante venditetur, *Ibid fol. 25. a.* Prætereò tritum hunc Suenckofeldii terminum, quo remeritatem suam tegere, eòque ipso simplicioribus fucum vendere satagit, dum *Apud ministerium, Apud verbum* (Non IN vel PER ea) Christum operari, ingeminat. En tibi genuinam, simplicem & planam, Suenckfeldii de verbo DEI sententiam!

*Quæsitum II. Quæ sit Suenckfeldii complicum de verbo scripto & prædicato sententia?*

Suenckfeldii partes presso pede sequuntur plurimî. Zinglius in Colloquio Marpurgensi, Spiritum S. per verbum externum, vocale & prædicatum, non dari, multum disputavit: agnito tamen errore, tandem Luthero accessit, *vid. Acta colloq. Marp. art 8.*

Theod. Beza ab antecessore Zuinglio secedens, Suenckfeldii partes tutatur *Resp. ad acta Colloq. Mompel. part. 2. p. 115.* ubi palpabilem errorem, dicit, ex foetidis scholasticorum lacunis haustum, quando causativa vis instrumentalis verbo & Sacramentis tribuitur *Ibid p. 116* in. Deum ipsum injurios esse, ait, qui aut hominibus, per quorum os loquitur, vel ipsi externo Dei verbo, Deum existimât VEL TANTILLVM divinæ illius suæ virtutis hominib9 renovâdis attribuere. *Ibid. p. 115.* quod sermo audientes afficit, non arguit vim ullam aliam, ipsis quæ audiuntur vocibus inesse, quàm res illas SIGNIFICANDI. *Ibid. p. 117.* Sit sermo Dei vivus, penetrantior quo vis gladio, Nulla tamê vis spiritualis intrinseca existimâda est illis insita. Annon hoc est egregiè Suenckfeldianizare? Thema Suenckfeldii est: *Verbum externum non est medium & instrumentum efficax fidei & salutis.* Thema Bezae est: *Verbo Dei externo ne tantillum divinæ virtutis renovandis hominibus tribuitur.* Si ne tantillum quidem intrinsecus operatur & efficit verbû Dei, qui medium efficax esse possit? Idê ergo Bezae & Suenckfeldii thema est: *Verbum externum non est medium fidei.* Thema Suenckfeldij est: *Verbum externum est externum duntaxat signum, imago, similitudo, instituta propter externum hominem, ut illi quoq; Dei actiones innotescant.* Thema Bezae est: *Verbum externum nullam aliam habet vim, quam res illas, quæ audiuntur SIGNIFICANDI.* Est igitur mediû duntaxat significans, vel externis hominibus declarâs ea, quæ solus Dei spiritus, sua vi verbo nunquam communicabili, operatur & confert. Idem ergo thema Bezae & Suenckfeldii est: *Verbum externum est signum externum, propter hominem externum, &c.* En tibi apertum Suenckofeldianismum!

Grynæus



Grynæus in disputat. Heidelbergensi thes. 5. aphorismo 4. citans dictum de ministerio spiritus vivificantis, 2. Cor. 3. eidem hoc glossema apponit; Hoc Pauli, alijsq; similibus dictis, ministerio externo EIVS COHONESTANDI ERGO, (nomine tenus, vel honoris ergo) phrasi Sacramentali effectum ministerii interni tribui. Ec quænam phrasis illa sacramentalis? Isthæc; ut tribuatur signo nomen signati, idq; propter relationem mutuam signi ad signatum. Cape ergo Interpretationem Glossematis Grynæani; si phrasi sacramentali Calviniana tribuitur ministerio externo effectum ministerii interni, Evangelium dicetur ministerium spiritus vivificantis, quia significat (non est) ministerium spiritus S. vivificantis, Evangelium erit potentia Dei, quia significat (non est) potentia Dei: Ecce tibi apertum Suenckfeldianismum!

Paræus in Exegesi doctrinae Palatine p. 80. Ministerium Ecclesiasticum efficax organum spiritus S. fatetur, per quod fidem & conversionem in cordibus electorum accendat ac confirmet. At mox subjungit pag. 81. Internam rament vim & efficaciam non esse ministrorum, nec in ipsorum externo verbo inclusam, sed esse spiritus S. Negat igitur virtutem salvificam in, cum, vel sub voce ministri, vel ad eam alligatam, vel in ea inclusam esse. Negat idem totidem ferme verbis Suenckfeldianus. En tibi iterum apertissimum Suenckfeldianismum!

Fraudem quæ hic Beumlerus, æstro vertiginis Suenckfeldianæ peritus, in declaranda præpositione PER, per adverbia SIMUL & VNA committit, vide in Suenckfeldio Calvinianismo D. Jac. Heilbr. c. 2. f. 22. 23. In communi separant cum Suenckfeldio ministerium externum ab interno, dividunt verbum in internum & externum, de quibus & aliis vide Exegetin Aug. confess. Præceptoris nostri Dn. Menzeri Artic. 5. memb. 5.

Paracelsista & qui ex his orti Weigeliani, Suenckfeldio, in hoc quidem puncto, planè sunt ὁμοψυχοι. Ex infinitis hæc cape ipsorum φρονησὶς ἀκρόματα. *Auditus verbi est inutilis, virtute carēs, litera mortua, corda percellere ac movere minimè valēs. Scriptura litera cortex est ad interiora non penetrās. Litera non est vehiculum verbi. Per literam Deus non cognoscitur. Ministerium literæ est sine fructu, manet in papyro & templis lapideis: Operatur saltem fidem mundanam, einen Weltsglauben. Conciones verbum fidemq; cordi non immittunt; nec succus nec virtus illis inest, sed nuda historia de Christo; Spiritum S. non infundunt. Omnes conciones frustraneæ sunt & otiosæ, causantur plus damni & impedimenti quàm commodi: Sunt balatus exterior aures replens. Von hören wirdt kein Selbman. Ideoq; Christianis fugiendæ. Scriptura non legendæ.*



sed privatus quispiam ac immediatus afflatus in divinis expectandus. Templa sine alio non visitanda, nisi in exemplum aliorum. Cuncta vero operatur Spiritus S. absque verbo externo, nec per externâ media. Opertet nos omnes esse à Deo doctos, doceri à spiritu sancto, ab unctiōe. Omnis notitia divinorum provenit ab intra, non ex libris. Ex Dei Spiritu plura nos intra nosmet discimus, quàm omnes conciones, omnes libri ad novissimum diem valent. Fides est ex auditu (non externo) sed interno. Fides potest esse siue externo auditu. Interiora non producuntur per exterius: exteriora non operantur interna. Si quæras quid ergo scriptura? Hoc respōsi habebis: Scriptura est speculum externum, indicat tibi qualis sis, pulcher an deformis, æger an sanus; talem verò te non efficit, morbos tuos neq; mitigare neq; curare valet. Hæc & alia Weigelius in postill. Gùlden griff. Dialogo de Christo Libell. Disput. &c. passim, uti citat D. Hunnius Filius, Disput. contra Paracelsist. c. 2. thes. 14. 16. 18. 37. &c. 3. thes. 13. 16. &c. 4. thes. 12. alijs.

Hermannus Rathmannus in suo, quem de Iesu Christi gratiæ Regno, anno præterito edidit, Tractatu, strenuum se fanaticorum horum sectatorem prodit. Has enim in præfat. eiusdem cap. 1. hypotheles propugnata. Scripturam sacram hunc in modum definit, quod sit divinum externum verbum sive testimonium sacrosanctæ voluntatis & operum DEI, qua à Spiritu S. per sublimem illuminationem in cordibus SS. Prophetarum & Apostolorum revelata, ut per hoc externum testimonium in virtute Spiritus S. ad Deum convertamur & salvemur. A. 4. a.

2. Externum verbum sive testimonium dici ait, quia extra Prophetas & Apostolos in literas congestum, ita ut verbum internum Apostoli in mente sua reservarint: Externum verò verbum veluti testimonium quodpiam nobis reliquerint, Ibid. Scripturam S. externè scriptam esse, in certum testimonium eius, quod Deus Prophetis & Apostolis locutus, & in animis ipsorum operatus sit, Ibid. b.

Hoc discrimen 3. esse, concludit verbi externi & interni, cui nullus cordatus & à Deo doctus Theologus contradicaturus sit, quod differant scilicet, sicut causa & effectus; vel sicut res signata & signum.

4. Efficaciam & operationem testimonij illius externi, sive, verbi scripti, esse hanc, ut hominem in virtute Spiritus S. ad Deum deducat,

5. Quomodo verò hæc deductio fiat, simili duplici declarat. 1. A statuæ alicujus Mercurialis manu, viâ iter facienti monstrante. Ita ut quemadmodum manus hæc tantundem operetur, ut quod ambulandum sit sciatur; ita & scriptura, cum index sit vitæ æternæ, efficax viâ rectæ ad vi-



nam incedenda nota sive signum sit, 2. Ab imagine regia depicta: Ita ut quæ-  
admodum imago hæc tantundem virium habeat, ut formam quampiam  
animi hominis imprimat, unde personam regiam sibi obviam factam, a-  
gnosceret queat: Ita & scriptura imago & pictura sit, qua essentia & volun-  
tas divina OBIECTIVE cognoscenda præbeatur. B. a.

6. Tandem igitur scripturam, quæ scriptura est, in se habere, ut  
monstret, doceat, ostendat, obiectivè, veluti invariatum quoddam testimo-  
nium, imago, pictura, nota, signum, quænam essentia & voluntas DEI sit,  
quæ item officii nostri partes sint.

7. Ut autem id, quod scriptura monstrat, indicat, verè cognoscatur, in  
cor suscipiatur, confirmetur & impleatur, ut homo actu ipso ad Deum con-  
vertatur, ac viam veritatis currat, oportere Spiritum S. per scripturam,  
vel APUD signum hoc, radios suos exerere. Id quod prædictis similibus  
denuò declarat. 1. imagine in tabulâ depictâ, quæ sine interveniente lu-  
ce dignosci non possit. 2. Manu Mercuriali, quæ viam quidem mon-  
stret, at ut videatur manus, oculos requiri, ut via ambuletur, faculta-  
tem ambulandi in cruribus præsupponi. Ibid. b.

8. Si dicatur scripturam dare cognitionem, deducere ad Deum, con-  
vertere, sanctificare, salvare, &c. Id non simpliciter & propriè ad scripturam,  
quatenus in literis comprehensa & externum testimonium sit, referen-  
dum: sed propter illum, qui per scripturam & in scriptura vult docere, & A-  
PUD illam, tanquam APUD externam suam imaginem & picturam, se per  
efficacem illuminationem notum reddere, scripturæ attribui. Idq; eò, quod  
scriptura, quatenus in literis concepta, animam penetrare nequeat, sed in  
tabulæ suæ cortice maneat, adeoq; neminem convertere, sanctificare & sal-  
vare queat. B. 3. a.

9. Viâ tamen ordinariâ notitiam DEI absque scripturâ originaliter non  
dari asserit, eoq; nomine Suenckfeldium, quod opinionem suam, hoc quidem in  
casu, non rectè explicare potuerit, frustra tamen, perstringit. Causam enim  
addit hanc, quia Deus ad scripturam suam S. tanquam ad signum suum,  
unde initium cognitionis fieri debeat, nos ablegatos velit. B. 3. b. Annon  
verò & Suenckfeldio scriptura signum pro externo homine est? Vide  
Quæsitum 1. puncto 6.

10. Subdit: Quanquam ad notitiam divinam impetrandam scri-  
pturam adesse vel interesse oporteat (müsse dabey sein) quod æternum ver-  
bum APUD & IN scriptura hominem ad DEUM deducat & convertat: il-  
luminationem tamen per æternum verbum & Spiritum Sanctum (non per  
verbum scriptum) procedere. Eamq; operari tanquam causam princi-  
palem



palem interni scripturam verò hæc omnia monstrare, indisare externe, obiective, ut per illuminationem spiritus s. suscipiantur. Ibid. & B. 4. d.

II. Deniq; quest. præfat. 2. multa de spiritali scripturæ, sub litera delitescente, intellectu, ejusdemque usu cumulat, & exinde allegorias quam plurimas pro regno Christi declarando, partim imperitè, partim ineptè, partim ridiculè deducit, Tract. cap. 14. Hæc ille. Quid nos?

Quicunq; phrases & verba Suenckfeldiana ac fanatica sensu Suenckfeldiano ac fanatico in fidei articulis tradendis adhibent. Suenckfeldiano ac fanatico spiritu perciti & imbuti sunt.

Calviniani, Theophrastice, Weigeliani, Rathmannus, alii; phrases & verba Suenckfeldiana ac fanatica, sensu Suenckfeldiano in fidei articulis tradendis adhibent E.

Propositio extra controversiam est. Assumptio è dictis indubitata est. Legitima igitur conclusio est.

*Quæsitum est igitur III. Num per verbum Dei ubiq; in scripturis intelligatur verbum Dei substantiale, nempe Filius Dei, an verò ipsa etiam doctrina, sententiæ & præcepta Dei, in scripturis sacris proposita, quæ & ipsa verbum Dei?*

Prius asserit Suenckfeldius, nos eodem negato, posteriori affirmamus. Quia 1. à particulari ad universale N. V. C. In uno atq; altero scripturæ loco per verbum intelligitur Filius DEI, id quod circumstantiæ textus, actiones & effecta eidem attributa, evidenter arguunt, utputa Iohan. 1. 1. 14. 1. Ioh. 1. 1. addunt alii Apocalyps. 20. 5. Ergone igitur in omnibus aliis ubiq; & promiscuè?

Quia 2. à potiori fit denominatio. Iam reliqua scripturæ loca, in quibus verbi Domini fit mentio, de Filio DEI accipi non possunt. E. necessariò vel de doctrinâ, vel de sententiâ, vel de præcepto Dei, ab ipso revelatis, prædicatis & propositis, accipienda erunt. E multis consideranda proponimus hæc pauca testimonia; Deut. 4. 12. 1. Samuel. 3. 1. 1. Reg. 18. 1. Psal. 119. 105. & 147. 19. Esa. 2. 3. & 51. 16. Ierem. 1. 2. & 6. 10. & 13. 8. Marc. 4. 13. Luc. 8. 11. 21. & 11. 28. Ioh. 5. 24. & 1. 46. 47. 51. & 12. 48. Actor. 4. 29. 31. & 6. 2. 7. & 13. 46. 2. Cor. 2. 17. & 4. 3. Col. 3. 16. 1. Thess. 2. 13. 2. Tim. 2. 9. 1. Pet. 1. 23. & 4. 11. & c. Equibus sic cõtra Suenckfeldianos inferimus: Quicquid Deus loquitur ipse, vel immediatè, vel mediatè, per Prophetas & Apostolos suos: Quicquid etiam Prophetæ & Apostoli ex ore DEI loquuntur, & quod homines tanquam Dei verbum audire debent, hoc verè & propriè est verbum



bum Dei. At sacra scriptura hoc ipsum continet, &c. E. vere ac proprie dictum verbum Dei continet.

Quia 3. confusa & obtusa, & absurda & abstrusa, contorta & distorta plurima inde sequerentur, si è vertigine Suenckfeldianâ de verbo Filio Dei dicta ista explicarentur. Experire vires, Fanatice, & si vires, quid possis hic, nobis masculè ostende!

Quia 4. Orthodoxi Ecclesiæ antiquæ Doctores ad unum omnes, vel de doctrinâ, vel de sententia, vel præcepto Dei, dicta ista intellexerant. De distinctione Patrum, inter verbum substantiale & vocale, quæ Suenckfeldius, in cumulandis eorundem testimoniis, blaterat, ad rem nihil faciunt. A baculo enim ad angulum procedunt, & fallacia non causæ ut causæ, itémque interrogationum plurium, decipiunt.

Quæsitum est IV. Num Scriptura sit inefficax litera mortua, externè scripta, manens in papyro, &c. & verbum prædicatum merus vacuus sonus, vox humana, balatus exterior aures replens, signum externum, manens in templis lapideis, &c.

Negamus. Quia. I. Scriptura, non quæ scriptura, sive externè scripta, literis item, caracteribus, syllabis & dictionibus in papyro exarata, quo sensu fanatici sophisticè accipiunt, nobis est scriptura: nec verbum prædicatum, quæ sonus est oralis, quo scripta illa & in papyro exarata verba Bibliorum proferuntur, nobis est verbum prædicatum, sed quatenus est scriptura & verbum DEI, adeoque ea continet & complectitur, enunciat & insinuat, quæ DEVS scripsit (ipse enim digito suo De ealogum binâ vice in tabulas lapideas descripsit, Exod. 32. 28. 32. & 34. 1. 28.) & locutus est, & literis sive verbis istis scribi ac consignari amantissimos suos, Prophetas & Apostolos, iussit, Esai 8. 1. Jer. 30. 2. & 36. 2. Apoc. 1. 11. & 14. 13. Breviter: Per scripturam non intelligimus formale, sive opus scribendi apices, syllabas & dictiones, quæ tanquam signa & symbola sententiarum scribuntur: sed materiale; hoc est. Id quod scribendo notatur. Sive res ipsas, vel sententias, tanquam signata, quæ istis literis & dictionibus significantur. Ideoque scriptura non est litera tantum externè scripta: sed scriptura Dei, & verbum Dei, quoniam Dominus locutus est, Esa. 1. 2. Verbum Domini factum est ad me, inquiunt Prophetæ passim. Verbum meum &c. Esa. 55. 11. Prophetæ qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum ore, Jerem. 23. 28. Verbum prædicatum dicitur, verbum auditus DEI, non verbum hominis, sed, sicut verè est, verbum Dei, 1. Thess. 2. 13. Verbum Spi-



tas S. qui loquitur in prædicantibus. verbum, *Matth. 10. 16.* DEI potentia, *Rom. 1. 16.* Dei virtus, *1. Cor. 1. 18.*

*Quia 2.* scripturæ & verbo prædicato efficacia tribuuntur effecta, quæ in efficaci mortuæ & externè scriptæ literæ, itémque sono, voci, balatui ac signo mero & vacuo tribui nequaquam possunt. Verba quæ loquor spiritus & vita sunt, *Ioh. 6. 36.* At eadem illa verba scripta sunt. Verbum prædicatum dicitur verbum vitæ, *Phil. 2. 16.* & virtus Dei, *1. Cor. 1. 18.* quia per virtutem DEI vitam in nobis operatur. Verbum meum est velut ignis, veluti malleus conterens petras, *Ier. 23. 29.* Sapientiam præstat parvulis, lætificat cor, illuminat oculos, *Psal. 19. 8. 9.* vivificat, *Psal. 119. 50. 93.* non vacuum redit, *Esa. 55. 11.* auditum convertit. *Ier. 25. 5.* fructus labiorum pax, *Esa. 57. 19.* Evangelium est ad nos non in sermone solum, sed & in spiritu S. *1. Thess. 1. 5.* Est potentia Dei (nempe ordinata in annunciatione Christi) ad salutem, *Rom. 1. 16.* per cuius prædicationem Deus salvos facit credentes, *1. Cor. 1. 18. 1. Cor. 15. 1.* Unde & Evangelium salutis dicitur, in quo credentes signatur spiritu S. *Ephes. 1. 13.* & ministerium spiritus, *2. Cor. 3. 8.* quia per prædicationem verbi accipitur spiritus, *Gal. 3. 2.* Sermo insitus, qui potest animas salvas reddere, *Iac. 2. 21.*

*Quia 3.* eo fine scriptura non scripta, ut sit externa duntaxat inefficax & mortua litera in papyro manens, nec eo fine verbum prædicatum prædicatur, ut sit vanus ac vacuus sonus, balatus aures penetrans, signum in templis lapideis manens, & testimonium nudum ac erudum externum: sed scripta, ut credamus Iesum esse Christum, & credentes vitam habeamus in nomine eius, *Ioh. 20. 31.* ut instruat nos ad salutem, per fidem, quæ est in Iesu Christo, & utilis sit ad docendum ad arguendum, &c. *2. Tim. 3. 15. 16.* Quæcunq; scripta sunt, &c. *Rom. 15. 4.* Prædicatur item ut inde fidem consequamur, quæ ex auditu est, *Rom. 10. 17.* & per sermonem prædicatum salutem consequamur, *1. Cor. 1. 18. Act. 11. 14.*

*Quia 4.* idem exemplis cõprobat; Discipulorum Emauntorum, *Luc. 24. 32.* auditorum Petri, *Act. 2. 37.* aliorum, De quibus & aliis plura recurrent in seqq.

*Quæsitum est V. utrum Prophetæ & Apostoli verbum Dei internum in corde reservarint, externum verò tanquam testimonium aliquod sive signum, notam, imaginem, picturam &c. Ecclesiæ reliquerint?*

Negamus. Prophetas & Apostolos idem illud verbum, quod Deus cordi



cordibus ipsorum internè inspiravit, voce & calamo docuisse, & in scriptis suis Ecclesiæ reliquisse asseveramus.

Quia 1. Deus PER OS Prophetarum suorum locutus est, *Luc. 1. 70.* PER Prophetas locutus est patribus, *Heb. 1. 1.* Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam factus est. *2. Sam. 23. 2.* Placuit Spiritui sancto & nobis, *Act. 15. 28.* Quod si jam Prophetæ & Apostoli verbum DEI internum in cordibus suis reservassent: Externum verò in testimonium duntaxat, signum, notam &c. Ecclesiæ reliquissent, qui quæso Deus per ipsos locutus esset? Quodcunq; Deus loquitur, & quidem per os & linguam Prophetarum, quis puræ mentis illud testimonium merum externum esse asseret?

Quia 2. nulla prophetia scripturæ est propriæ interpretationis, nec humana voluntate profertur; sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti DEI homines, *2. Pet. 1. 24.* adeoq; omnis scriptura divinitus est inspirata, *2. Tim. 3. 16.* Qui ergo Prophetæ & Apostoli externum saltem verbum scriptis suis Ecclesiæ reliquissent? Annon enim verbum illud scriptum, Ecclesiæ relictum, est prophetia?

Quia 3. omnia quæcunq; Apostoli audiverunt & didicerunt, salutis nostræ utilia ac necessaria, ea etiam, jussu & mandato Domini, viva primum voce prædicarunt, scriptis deinde suis nobis reliquerunt. Docentes eos servare omnia, quæcunq; præcepi vobis, *Matth. 28. 20.* Ecquæ illa? Anne verbum duntaxat externum, fanaticè? Haut ita, sed Baptismus & doctrina, per quæ fidem & salutem consequabantur. *Marc. 16. 15.* Quod vidimus & audivimus annunciamus vobis, *1. Iob. 1. 1.* Quod nam istud? Anne verbum duntaxat externum? Haut ita; sed vita, eaq; eum in finem annunciata, ut & nos habeamus societatem cum patre & filio v. 3. Nihil subterfugi utilium, quo minus annunciarer vobis & docerem publicè & per domos, *Act. 20. 20.* Ecquæ ista utilia? Anne verbum duntaxat externum? Haut ita; sed pœnitentia & fides in Christum v. 21. Non subterfugi, quin annunciarer vobis omne consilium Dei *ibid. v. 27.* Ecquod illud consiliû Dei? Anne verbum iterum duntaxat externum? Haut ita; sed consilium omne salutis nostræ. Illud ne externum duntaxat verbum est?

Quia 4. Idem ex effectis verbi scripti & prædicati Apostolorum constat. PER verbum namque Apostolorum prædicatum multi credituri sunt, *Iob. 17. 29.* PER OS Petri gentes Evangelium audiverunt & crediderunt, *Act. 15. 7.* Paulus aperuit oculos gentium, ut converterentur à tenebris ad lucem, *Act. 26. 18.* Petrus corda auditorum com-



punxit, Act. 2. 37. Multi eorum qui audierant verbum, crediderunt, Act. 4. 4. Quod si verò Apostoli internum verbum in corde suo retinissent, externum verò duntaxat in testimonium & signum prædicassent, unde, dic mihi sodes, efficaciam habere potuissent? Adde 2. Timoth. 3. 16. 17.

Quia 5. Asserta a nobis suo suffragio orthodoxa comprobatur Antiquitas. Decantatum est hoc Irenæi: *Apostoli Evangelium quod tunc præconiaverunt, postea per Domini voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum, lib. 3. cap. 1. Doctrina Apostolorum manifesta & firma, & nihil subtrahens, neque ALIA quidem in abscondito, alia in manifesto docet. Hoc enim fictorum & prave seducentium & hypocritarum est molimen, Idem ibid. cap. 15. Hæreticorum vox est. Apostolos aut non scisse omnia, aut NON OMNIA OMNIBUS tradidisse.* Tertull. de præscript. Puerile est, quod ex Act. 10. 43, thesaurum suam stabilire fanaticus fatagit. Turpi namque oppositorum Elencho ludit. Prophetæ omnes de Christo testantur? Ergo ne scriptura testimonium merè externum? E. non etiam medium sive organum divinæ illuminationis esticax? Hem tibi, Fanaticè!

*Quæsitum est VI. Num aliud sit verbum externum, aliud internum.*

Nos in sensu Suenckfeldiano negamus. Contrà verò verbum internum & externum realiter *ἴαυτο* statuimus. Quia 1. verbū externum in scripturæ tabulas relatam & voce ministri prædicatum, est ipsius Dei verbum, per ea quæ Quæsitio 4. demonstrata sunt.

Quia 2. non aliud verbum intus in corde Prophetarum & Apostolorum occultum delituit, aliud ORE ipsorum foris prolatum fuit, per ea quæ Quæsitio 5. proxime præcedente probata sunt.

Quia 3. distinctio hæc inter verbum externum & internum, scripturæ S. incognita est. Ea enim sicut duntaxat novit unum baptismum unam fidem. Ephes. 4. 5. unum ministerium, nempe Spiritus S. 2. Cor. 3. 8. Ita & unum duntaxat novit verbū, per quod Spiritus S. interne hominem illuminat, Ephes. 3. 9. regenerat, 1. Pet. 1. 23. 1. Cor. 4. 15. fidem excitat, Rom. 10. 17. 10. 17. 29. salvat, 1. Cor. 1. 21. 1. Tim. 1. ult.

Quia 4. ex ordinatione divinâ conjungenda disjungit, & efficaciam omnem à verbo prædicato, contra exserta scripturæ testimonia, Quæsitio 4. prolata, dispescit.

Quia 5.



Quia 5. à Suenckfeldianis ad fanatistum suum propugnandum usurpata, à sinceris verò Augustanæ Confessionis Theologis rejecta, ac veluti fanatica in communi proscripita ac damnata.

Quia 6. è nostris si qui sunt, ut sunt, qui eadem utuntur, non 1. Suenckfeldiano, sed Metonymico sensu, nostro iudico, utuntur, internum scilicet verbum pro effectu sive assensu prædicati verbi interno accipientes. Adhibent 2. in populari docendi genere extra controversiæ casum. Ideoq; 3. secundum analogiam fidei & sinceræ doctrinæ Evangelicæ, & accipienda & explicanda. De homine interno & externo, quæ toties & dictis & scriptis suis, contra mentem & sententiam Apostoli, fanatici ingeminant, notavit præ aliis D. Iacob Heilbr. in Suenckfeldio Calvinis cap. 4. Tetigit eadem etiam D. Lucas Osiander pater, in Resutat. Confess. Suenck. c. 8. fol. 74. glossa marginali, ubi vide.

Quæsitum est VII. Num inter verbum externum & internum tale sit discrimen, quale est inter Causam & effectum, inter signum & signatum.

Cadit Quæsitum hoc è decisione præcedentis. Quia 1. si ne verbum quidem Dei aliud est externum aliud internum, nec vel ut causa & effectum, vel ut signum & res signata discerni possunt.

Quia 2. contradictionem quæsitum implicat. Si enim inter verbum externum & internum est affectio talis, qualis est inter causam & effectum, non potest inter idipsum talis esse, qualis est inter signum & signatum; & contra, sunt enim in diversis categoriis; signum & signatum, referuntur ad subjectum & adjunctum, adeoque sunt argumenta modo quodam consentanea. Causa verò & effectum sunt absolute consentanea. Ideoque de uno & eodem, respectu eodem, dici non possunt: quod è Logicis indubitatum est.

Quia 3. Rathmannus, qui distinctionis hujus fictor & pictor est, sibi hic non constat. Verbum enim internum ei est causa verbi externi; Externum verò effectum interni, vid. præfat. q. 1. num. 3. a. 3. Iam verò verbum internum eidem nil aliud est, quàm spiritualis mens & intellectus scripturæ, animæ per Spiritum S. inditus, alleg. q. 1. num. 2. & 3. Externum verò aliud nil, quàm externa scripturæ litera, num. 5. q. 2. Quod si ergo verbum externum verbi interni effectum esset, communionem necessariò etiam cum eo, vel dependentiam minimum aliquam ab eo haberet, cuius efficacia vi & facultate tanquam effectus produceretur. Quicquid enim est in effectu, præexistit in causa, sive, affectivè sive effectivè,



effectivè, sive formaliter sive virtualiter. Nihil dat quod non habet. Assume; Verbum externum non præexistit in interno verbo tanquã sua causa. Est enim id, è Fanaticorum sensu, tantum litera externa, quæ animam non penetrat; sive testimonium externum, quod mentem & sensum verbi interni, in se non continet, (is enim in corde Prophetarum & Apostolorum, ex opinione Rathmannica, remansit) sed duntaxat testatur de eo, quod Deus Prophetis & Apostolis locutus, & in cordibus eorum operatus est. Vel, imago, pictura, signum, nota, manus mercurialis est, efficacem nobis illuminationem tantum monstrans, ostendens, insinuans. Qui ergo interni verbi effectum esse possit? Non tango, quod scripturam (verbum externum) etiam à Spiritu S. profectam idem asserit, *all. q. I. num. 3.* Quod si verò à Spiritu S. æque ac verbum internum est, tanquam causã, effectum verbi interni, tanquam causæ suæ, qua ratione esse possit?

*Quia 4.* si differrent ut causa & effectum, verbum internum, veluti causa, esset prior verbo externo scripto & prædicato, veluti effecto, saltè natura. At non hoc: verbum enim scriptum organica illuminationis & assensus interni causa est. Id quod ex quæsito seq. planum erit. E. Unde sic porrò infero: Quicquid voluntate Dei ordinatum est ut sit cū causa principali instrumentum conjunctum, ad certum aliquod producendum effectum, illud in eo ordine non potest dici effectum. Sed verbum Dei scriptum & prædicatum est tale. Ergo.

*Quia 5.* si verbum externum esset signum verbi interni tanquam signati, nulla verbo divino scripto & prædicato vis & efficacia alia quàm merè significativa inesset. Id quod luculentissimis scripturæ testimoniis è diametro contrarium est, sicut supra Quæsito 2. notatum est. Cætera Philosophis eruenda relinquimus.

*Quæsitum est VIII. Num scriptura sacra sive verbum Dei OBJECTIVE tantum veluti manus statua, alicuius Mercurialis, vel pictura & imago aliqua in tabula depicta, monstrat, indicet, doceat, insinuet &c. An verò organicè, tanquam efficax instrumentum sive medium, fidem conversionem ac salutem doceat, operetur & perficiat?*

Prius negamus; posterius affirmamus. *Quia 1.* affirmatum nostrum scriptura invariatis testimoniis confirmat. Sacra enim litera nos erudiunt ad fidem 2. *Tim. 3. 15.* conferunt patientiam, consolationem, spem, *Rom. 15. 4.* faciunt hominem perfectum, 2. *Tim. 3. 16.* habemus  
in eis



in eis vitam æternam, *Ioh. 5. 39.* Verbum DEI convertit animas, *Psal. 19. 8.* confert fidem, *Ioh. 17. 30.* ex exauditu, *Rom. 10. 17.* illuminat, *Ephe. 3. 9.* regenerat, *1. Pet. 1. 29.* est potentia ad salutem, *Rom. 1. 16.* salvat, *1. Cor. 1. 18. 21. &c.* Adde prædicata verbi divini alia, *Quæstio 4 rat. 2. & 3. allegata.* Equib9 sic inferimus: Effecta isthæc tribuuntur scripturæ. Erit E. scriptura eorundē causa. Si causa, erit vel efficiens principalis, vel instrumentalis. Non principalis. E. instrumentalis. E. scriptura revera est medium, organum sive instrumentum, per quod DEVS omnes istos effectus in nobis operatur.

*Quia 2.* eidem evidenti consequentia insinuat. DEVS per verbum, *Ioh. 17. 30.* & exauditu verbi, *Rom. 10. 17.* vult operari fidem: per prædicationem Evangelii vult salvare, *1. Cor. 1. 18. 21.* unde & dicitur potentia DEI ad salutem, *Rom. 1. 15.* Evangelium salutis, *Ephe. 1. 13.* Verbum E. illud prædicatum & auditum, est medium, organum sive instrumentum, per quod fidem & salutem operatur. Consecutio est manifesta. Particulæ enim PER & EX hic necessariò notant causam instrumentalem. Quod si verbum organum huiusmodi non est, detur evidens causa alia, cur potentia DEI ad salutem, cur Evangelium salutis dicatur? *21.* Christus ipse & Spiritus S. in Apostolis & aliis doctoribus, doctrinam Apostolorum tradentibus, loquitur, eorum etiam ministerio ad conversionem hominum utitur & per illud efficax est, *Matth. 10. 20. Rom. 15. 18. 2. Cor. 13. 1.* Vnde Paulus electum organum Christi, *Act. 9. 15.* Apostoli & ministri alii dispensatores mysteriorum Dei, cooperarii DEI, nominantur, *1. Cor. 1. 1. & 3. 9.* Erunt E. Christi & Spiritus S. organa, per quæ ipse loquitur & efficax est. Si negatur, evidens causa alia, cur ista dicantur, proferatur? *3.* Ministris Ecclesiæ tribuuntur actus divini, ut puta scientiam salutis populo dare, *Luc. 1. 17.* illuminare, oculos aperire, *Ephe. 3. 9.* convertere e tenebris ad lucem, *Act. 26. 18.* filios Christi gignere, *1. Cor. 4. 15. Philem. v. 10.* parturire, *Gal. 4. 19.* salvare. *1. Tim. 4. 16.* Erunt E. media & instrumenta, per quæ DEUS hos actus peragit & efficaciter operatur, id quod evidenter asserit Apostolus, *1. Cor. 3. 5.* Hoc si non esset, virtus Dei, operatio & gloria, creaturis extra Deum idolatricè tribuenda esset.

*Quia 3.* id ipsum exemplis indubitatis comprobat. Emauntinorum, *Luc. 24. 32.* auditorum Petri, *Act. 37. 41. & 4. 4.* Hierosolymitanorum, *Act. 6. 7.* auditorum Philippi, *Act. 8. 7. 14.* Eunuchi, *Ibid. 25. 37.* Corneli & domesticorum, *Act. 10. 44. & 11. 20. 21.* Antiochenorum, *Act. 13. 46.* Lydiæ, *Act. 16. 14.* Corinthiorum, *Act. 18. 8.* Ephesiorum,



*Act. 19. 4. 5. Judæorum Romanorum, Act. 28. 24. Intuere loca & vide num vel manui Mercuriali, vel imagini, vel picturæ, signo, notæ, &c. sint accommoda?*

*Quia 4. absurda multa usus iste scripturæ merè objectivus cumulat. Stante namq; manu Mercuriali, imagine & pictura objectiva; stabūt & hæc in Theologia ἀτοπα 1. Illuminatio scripturæ antecedit: Sicut visio est in homine antè quàm manū Mercurialē videt & intuetur. Sicut lumen solis tenebricosum aërem antè pellit, quàm oculus imaginem in tabula picta percipit. 2. Vis & efficacia spiritualis antè in homine erit, quàm scriptura objectiva illa docens & monstrans accedat: Sicut vis & facultas ambulandi ante in cruribus est, quàm manus viam, quæ currenda sit, ostendat. 3. Illuminatio & virtus spiritualis, non erit in scripturis & verbo Dei, neq; per scripturam tanquam efficax organum, vel ex scriptura, sive mediante scripturâ, proveniet: sed absque scriptura, tanquam medio, vel minimum IN scriptura, tanquam externo, intellige, testimonio; Vel APVD scripturam sive signum hoc, à Spiritu S. solum perficietur. Sicut facultas ambulandi, non est in manu Mercuriali, nec per eam, sive ex ea, provenit, sed in crure est, & ex eodem se exerit. Sicut facultas picturâ cognoscendi nō est in pictura, sed in oculo & interveniente lumine, &c. Quæ & alia paradoxa Enthusiastica ab omnibus orthodoxis ac sinceris Augustanæ Confessionis Theologis hætenus damnata ac projecta. Dicta Didymi, Gregorij, Leonis, Bernhardi, Lutheri, &c. quæ ad objectivum scripturæ usum comprobandum hîc producunt, ad rhombum nil faciunt. Spiritum S. enim magistrum, mentem, intellectum & cor hominis monere, movere, docere, illuminare & spirituales in eodem motus accendere oportere, quis est qui è nostris neget? Absq; medio autem verbi divini hos ipsos motus Spiritum S. operari, ubi hoc Didymus, ubi Gregorius, ubi Leo, ubi Bernardus, ubi Lutherus habet?*

*Quæsitum est IX. utrum locutiones hæc quod APVD scripturam Spiritus S. spirituales suos motus excitet: Item; Quod verbum DEI in illuminatione & conversione hominis, tanquam Testimonium, signum & notam aliquam oporteat ADESSE, müssè dabey seyn / etc. operationem & efficaciam verbi Dei suffuenter exprimant?*

*Negamus. Quia 1. termini hi, APVD, CVM, IN, Beym Dienst / im Dienst / etc. item signum, imago, pictura, nota, testimonium, Suenckfeldiani*



Suenckfeldiani sunt, quibus ipsis ipse in *Confess sua fol. 8. a. & 9. a. Epistol. 90. Bom Worte fol. 25. a. alibi passim*, utitur. Quod autem PER scripturam sive verbum Dei, tanquam efficax organum & instrumentum divinitus institutam, illuminatio, conversio, motus spirituales alii, in homine excitentur, id in tantum Suenckfeldius non concedit, ut & anathemate hoc docentes feriat, & veluti horrendam idolatriam assertionem istam damnet, vid. *Ablehnung der Calumnien der Widersprecher der Worten Christi fol. 29. 6. Idem libel. Bom Worte fol. 34. a. Confess fol. 10. a. sup. allegat.* Suenckfeldianizant E. qui terminis istis utuntur.

Quia 2. iisdem scriptura S. non utitur. Orthodoxa thesis est, PER scripturam tanquam efficax organum ac medium, illuminationem & conversionem excitari ac perfici, id quod quaesito praecedenti demonstratum est. Loquitur ita scriptura. Qui PER SERMONEM eorum (Apostolorum) credituri sunt in me, *Ioh. 17. 20.* PER stultam praedicationem placuit DEO salvos facere credentes, *1. Cor. 1. 21.* Petrus loquitur tibi verba PER quae salvus eris, *Act. 11. 14.* Notum vobis facio Evangelium PER quod salvamini, *1. Cor. 15. 1.* Ministri sunt PER QVOS credidistis, *1. Cor. 3. 5.* Quae & alia indubiam instrumentalis causae notam esse modo quaesito praecedente demonstravimus. Vbi autem vel semel dicit quod *Apud verbum* Deus vel fidem, vel salutem operari velit? Vbi, quod praeposito PER per APUD explicanda sit, vel verbulo innuit? Vbi, quod Spiritus S. *apud* scripturam tanquam signum aliquod, imaginem, picturam, per efficacem operationem se manifestet, scriptura ait? Vbi quod eorum quae Deus Prophetis & Apostolis locutus & in cordibus ipsorum (absque tamen verbi medio) per Spiritum S. operatus sit, certum duntaxat testimonium sit? Haec igitur quomodo scripturae efficaciam expriment, cum eandem in solidum potius enervent?

*Quaesitum est X. Num scriptura S. quod cognitionem Dei conferat, sanctificet, convercat & salvet, verè attribuatur? An verò illuminationem saltem quae APUD scripturam est, die mit vnd bey der Schrifft ist / eidem arrogetur?*

Decisio Quaesiti hujus è quaesitis praecedentibus sponte sua fluit. Si namq; scriptura sacra efficax fidei ac salutis medium est, quid ni cognitionem Dei conferret, sanctificaret, converteret & salvaret? Sed duo, quae in contrarium obijciuntur, nobis hinc diluenda sunt. Primum est, quod scriptura, quia sit externè scripta & syllabis sive literis concepta, animam penetrare non possit. Alterum est, quod impii etiam hac ratione



Scripturam cognoscere; quin & ipsi etiam Diaboli converti sic possint. At neutrū alicujus est momēti. Non prius, quia nō uno modo vitiosū est. Syllogistica illatio hæc est: *Quodcumq; nos ad Deum deducit, sanctificat, mundat, convertit, animam ipsam penetrare & ab eadem suscipi necesse est. Scriptura sacra animam nec penetrare, nec ab eadem suscipi potest, Ratio: quia litera externè scripta est. E.* Assumptio negatur. Prosyllogismus ejus ambiguitate terminorum fallit. Semel enim diximus, scripturam nos non accipere formaliter. Id ē supra dictis huc refer, & fallaciam ambigui deprehendes. Semel demonstravimus, scripturam esse viam maximè & efficacem. Id repete, & falsitatem assumptionis agnosces. Scriptura utique penetrat cor. Nonne cor nostrum ardens erat, dum aperiret scripturas, *Luc. 24. 32.* Verbum prædicatum pungit cor, *Act. 2. 27.* tangit cor, *Act. 16. 14.* contundit cor, sicut malleus petram, *Ier. 23. 29* pertingit usq; ad divisionem animæ & spiritus, *Heb. 4. 12.* Verbum prædicatum etiam corde recipitur, *Act. 2. 41.* suscipite insitum verbū, quod nō est sonus ac vox mera, sed salvare potest animas, *Iac. 1. 21.*

*Non posterius.* Distinguendum enim inter verbi divini efficaciam ejusdemq; applicationem. Verbum Dei est & manet **IN & PER SE** efficax conversionis & illuminationis medium, ut maximè increduli per illud non convertuntur. Quod non illuminantur, non convertuntur, non fit vitio verbi, sed defectu fidei. Cujus quæ sit ratio parabolâ quadruplicis seminis, *Luc. 8. 11.* itēque ab Apostolo, *2. Cor. 4. 4. 34.* explicatur: Ab eruditis verò exemplo solis, pro diversitate subjectorum diversa effecta producētis, declaratur. *Omne siquidem receptivum recipit per modum receptivitatis, & non per modum imprimētis.* Dæmonum exemplo Elenchus alieni committitur. Illis enim catenæ tenebrarum æternæ destinatae sunt, non Dei verbum. Quid ergo mirum, si ipsis in conversionem & salutem, etiam si audirent & norunt, non cedit? Quæso, si vacat, lege quid Theander noster B. Lutherus super cap. 17. Iohan. scripserit, & plerasque has fanaticorum quisquillas, jam olim ab ipso plenè ac planè refutatas invenies. *Vide Tom. 6. tenens fol. 213. b. & 214. a. edit. 1557.*

*Quæsitum est XI Num in conversione hominis illuminatio Spiritus S. verbum scriptum & auditum antecedit; & hominis cor veluti causa princeps, vna & sola, ad recipiendam semen verbi divini præocuperet; Scriptura verò hoc ipsum solum obiectivè monstraret, doceat & indicet, ut per illuminationem Spiritus S. suscipiatur?*

Affir.



Affirmativa est Rathmanni, vid. *quasit. 2. puncto 9.* cuius suffraganeus est Saenckfeldius, qui præter allegata loca. *Quasito 1. puncto 4.* & 5. gratiam Spiritus S. omne omninò verbum prædicatum externum antecedere, hominèmq; convertere, cor aperire, & idoneè præparare oportere. Scribit *Epistolari 1. Epist. 9. pag. 779.* Addit in margine: conversionem NON fieri per verbum & Sacramenta, tanquam instrumenta & media. Subdit non levem esse errorem, si externum semper & necessariò antecedere oportere, doceatur, ac si absq; eo salvari quis non possit, &c. *Ibid p. 780.* Nos strictè præcedemus. Verbum Dei scriptum & auditum efficax medium est per quod Spiritus S. cor hominis illuminat ac convertit. Id quod supra demonstratum est. E. illuminationem & conversionem naturâ antecedit. E. scriptura illuminationē objectivè non tantùm monstrat, docet & indicat, sed & organicè operatur ac perficit. Adi hic *Quasitum 8.* & illic dicta huc refer. Adde verba Formulæ Concordiæ, quæ extant in Articulis Smalkaldicis part 3. art. 8. *In his quæ vocale & externum verbum concernunt, constanter tenendum est. Deū minimè Spiritū vel gratiam suam largiri NISI PER VERBUM & cum verbo externo & PRÆCEDENTE, &c.* Quicquid absq; hoc verbo Enthusiastæ de Spiritu deprædicant, *Diabolus est*, asserente B. Luthero, cuius non possum quin verba genuina, ex articulo Concil. Mantuani 8. apponam. Darinnb sollen vnd müssen wir darauff beharren/das Gott nicht will mit vns Menschen handeln/den durch sein eufferlich Wort vnd Sacrament. Alles aber was ohn solch Wort vnd Sacrament / vom Geist gerühmet wirdt/das ist der Teuffel/denn Sit wolt Moysi erst durch den fewrigen Busch vnd Mündlich Wort erscheinen. vnd kein Prophet / weder Elias noch Eliseus / auffer oder ohn die Zehē Gebott / dē Geist kriegen haben. Vnd Johannes der Teuffer nicht ohn Gabriels vorgehend Wort empfangen / noch ohn Mariæ Stim in seiner Mutter Leibe sprang. Vnd St Petrus spricht / die Propheten haben nicht auß Menschlichen willen / sondern auß dem heiligen Geist geweissaget / doch als die heiligen Menschen Gottes. Aber ohn eufferlich Wort wäen sie nicht heilig / viel weniger heilig sie / als noch vnheilig / der heilige Geist zu reden gerieben / den sie waren heilig spricht er / da der heilige Geist durch sie redet. *vid. Tom. 6. Ien. f. 556.* Subjicimus unum hoc, quod verbum scriptum ac prædicatū Davidi ac Petro dicitur lucerna pedibus nostris, lucens in loco caliginoso, donec dies illucescat & lucifer oriatur in cordibus nostris, *Psal. 119. 105. 2. Petr. 1. 19.* Quemadmodum igitur nemo in loco caliginoso quicquā absque lucerna conspiciere potest: Ita nec in spiritualibus quicquā



absque lucerna verbi divini cernere potest, ut beneficio ejusdem lucifer in corde suo oriatur. Nisi quis dicere velit, habere quem in loco caliginoso lucem ante lucem, & videre absque luce.

*Quæsitum est XII. Num. absque illuminatione Spiritus S. scriptura per scripturam probari possit: Si verò illuminatio viva & efficax non deprehendatur, probatio isthæc non alius ponderis, ac si non ex mera rationis arte & Aristotelis officina depremissa*

*esset habenda sit?* Affirmatum est Rathmanni alleg. quæst. 1. num. 7. C. I At Suenckfeldianam est. Suenckfeldius namq; scripturam ante omnia requirere scribit homines DEI & spirituales Doctores ac interpretes h. e. fideles ex Deo regenitos homines. Ei autem qui nullum fidei lumen & intellectum in rebus divinis habeat, esse & manere eam solum scripturam, *bleibe sie allein Schrift/Label, vom Worte fol. 28. 10.*

Nos sententiam nostram breviter sic declaramus. Præsupponimus 1. quod nulla prophetia scripturæ propria sit interpretationis, 2. *Per. 1. 20.* sed domum spiritus, *1. Cor. 12. 10.* Absque ejus igitur illuminatione fieri non potest.

Distinguiamus 2. inter dona Spiritus S. sanctificantia & non sanctificantia, Sanctificantia non possunt in homine sanctificato non esse viva & efficacia. Non sanctificantia, non item. Donum autem non sanctificans scripturæ interpretationem esse, constat ex *Matth. 7. 22.* ubi prophetantibus in nomine Domini dicitur *nunquam* novi vos. Paret item exemplo scribarum & Phariseorum in cathedra Moisis sedentium, qui audiendi, etiamsi opera eorum non facienda, *Matth. 23. 2. 3.* Potest igitur quis scripturam per scripturam verè & genuinè explicare, declarare, probare, etiamsi illuminatio in corde ejus viva & efficax non deprehendatur. Ita Judas, exempli gratia, æquè ac Apostoli reliqui, verbum Dei rectè docere & explicare potuit, etiamsi in corde suo fur fuit. Concionator potest alios rectè docere, etiamsi se ipsum non doceat. Potest prædicare, ac ex scripturis legitimè demonstrare, non furandū, non mœchandū, &c. & ipse nihilominus furari, mœchari, &c. *Rom. 2. 21.* Pari ratione potest quis quæstiones controversas, de æterna, putata, Christi Deitate, de Bapt. de Cœnâ, alias, è veris & genuinis scripturæ fundamentis legitimè inter se collatis ac deductis, decidere ac comprobare, etiamsi interior illuminatio in corde ipsius viva ac efficax nō animadvertatur, ita scilicet, ut ipse vel veram Christi Deitatem, vel genu-



nutnam Baptismi & Coenae Dominicae doctrinam in corde suo verè ac sincerè non credat.

Quod autem propter ea 3. quia demonstratio hujusmodi non efficax & viva deprehenditur, ipsa pro merè Philosophica & Aristotelica habenda, nec alterius alicujus ponderis, quam si ex rationis arte, vel Aristotelis officina deprompta esset, aestimanda sit, merè ac verè fanaticum somnium est. Scriptura enim scriptura est & manet, etiamsi vel hic vel iste, quid scriptura dicat, in corde suo non credat. Probatio legitima scripturae per scripturam, est & manet in & per se divina ac efficax, etiamsi vel hic vel iste, qui probatione hujusmodi utitur, eidem assensum non præbeat. Ratio & incredulitas nostra, neq; scripturam, neq; probationem ejusdem, vel in rationem merè Philosophicam, vel Aristotelis officinam, convertere potest, sed verbum Dei quod est, ex eodemve legitime deductum est, est ac manet verbum Dei, est & manet in ac per se divinum & efficax, etiamsi nemo sit, qui vel assensum eidem præbere velit, vel illuminationem ejus & efficaciam animadvertere possit. Constat enim hoc Apostoli: Incredulitas hominum fidem Dei irritam non reddit, Rom. 3. 3.

*Quaesitum est XIII. Num arcana Dei inspiratione immediata hominis illuminatio perficiatur?*

Arcana istiusmodi inspiratio verè arcana est, neque enim scripturae neq; Ecclesiae cognita est, ideoque merè fanatica habenda est. Quia 1. nunquam hujusmodi inspiratio in scripturis, hoc quidem Ecclesiae statutu, nobis promissa. Habent fanatici promissionis divinae de eadem tabulas, in apertum eas producant, & ex iisdem affirmati sui rationes depromant.

Quia 2. nunquam à sanctis expectata. Proferant, si possunt, fanatici, fide digna exempla, si quae dicunt, volunt esse salva!

Quia 3. posteriorum temporum hominibus denegata, Considera hic Heb. 1. 1 & Job. 1. 18.

Quia 4. fallax omninò & incerta. Unde enim probabunt illam esse vere divinam? Obstat 1. astuta Satanæ malignitas 1. Cor. 11. 14 qui in incredulis efficax, Ephes. 2. 2. mentes ferè fidelium excecatur, 2. Cor. 4. 4. ut mendacio credant. 2. Thess. 2. 11. Obstat 2. nativa naturæ nostræ vanitas, quæ somnis suis facillime decipitur, Eccles. 5. 6. Syrach. 34. 2. Obstat 3. exemplorum affinitas, vide 1. Reg. 22. 16. 21. Esai. 26. 10. Jerem. 14. 13. & 27. 9. & 39. 8. Thren. 2. 14. Adde recentia Carolstadii, Stubneri, Pelargi,



Pelargi, Munzeri, Monestariensium, aliorum alia.

*Quia* 5. mediis legitimis, afflatus verè divinos probantibus, destituta Ecquæ ista? Interior 1. majestas, veritatem revelationis divinæ insinuans. Miraculorum 2. divinitas, eandem comprobans. Signorum 3. dignitas, eam ipsam commendans. Cōplementorum 4. veritas, illam indubitato demonstrans. Ostendant nobis fanatici ex his mediis vel unicum, si inspirationis suæ immediatæ certi sunt. Si non possunt, ut non possunt, omnes, quotquot hæctenus de eadem jactitarunt, gloriationes, vanæ sunt, nullæ sunt. *Consule Disputat. contr. Paracelsi. Humni Filii, cap. 4. Thes. 13. ad 25. & rationes has plenius explicatas invenies.*

*Quæsitum est XIV. Num mediante scriptura sacra Prophetica revelationes hodie conferantur?*

Novimus τὸν δῆρα qui, ut Propheticas suas de futuris tēporū horum mutationibus prædictiones propugnare speciosè & impunè posset, easdem sibi divinitus, non immediato quidem afflatu, Enthusiasticum in modum, inspiratas, sed mediante sedula scripturæ lectione, verbi divini meditatione, præcum devotarum effusione, &c. revelatas, ac intus in corde suo per Sp. S. obsignatas esse, impetuosè asseverabat. Quid ad hæc nos? Neque subjectū, sive revelationes hujusmodi propheticas ipsas, neq; earum objectum, sive materiam de qua jactantur, approbare possumus.

*Dicimus* 1. donum propheticum fuisse, esse & manere. donum Dei immediatum, Verbo E. Dei scripto tanquā medio non adscribendum. Fuisse 2. olim in V. & in primordio N. T. personale. Personale autem non egreditur personam. Verbo E. scripto tanquam medio illuminationis universali non attribuendum. Fuisse 3. extraordinarium. Ordinario E. illuminationis medio non arrogandum. Fuisse 4. rarum. Communi E. medio illuminationis non assignandum. Fuisse 5. miraculis, indubitatis item prædictionum impletionibus, comprobatum. Ubi E. eadem non sunt, propheticae revelationes esse non possunt.

*Dicimus* 2. hujusmodi revelationes propheticas mediatas nobis nusquam à Deo promissas. Pseudopphetas plurimos in extremis mūdi diebus venturos, è scripturis novimus, *Matth. 24. 24.* de vere divinis prophetis, vel unicam nobis, si verus propheta haberi vis, ut vis, è N. T. ostende promissiuncula? Quod si revelationes hujusmodi promissæ non sunt, E. nec expectandæ sunt, E. nec conferri queunt. *Quid enim*

enim



enim homo sibi pollicebitur de DEO, quod DEVS ipse de se non pollicetur?

*Dicimus 3.* eas nobis potius in postremâ hac mundi ætate præcisè denegatas, vide *Heb. 1. 1.* Si denegatæ; qui expectandæ? qui conferendæ?

*Dicimus 4.* eas nuspiam à sanctis vel expectatas, vel prædictas. De verè sanctis loquimur: Enthusiastas & cœlestium, uti Lutherus noster indigitat, prophetarum cœtum non moramur. Expectavimus hucusq; exempla. Audire potuimus præter Hussi, Hiltenij, Lutheri, nulla. At illa ad rem præsentem impertinentia. Sunt enim 1. particularia, ideoq; regulam universalem non constituentia. Sunt 2. dissimilia: Quia Hussi, Lutheri & Neoprophetarum nostrorum. 1. Spiritus dissimilis. 2. Causa dissimilis. 3. Vocatio dissimilis. 4. Effectus dissimilis. Sunt 3. dissona. Viri namque isti DEI in scripturis ad amissim edocti & exercitati, ex iisdem, de passus ruina propediem subsequutura, facile judicare potuerunt. 2. Ruinam ipsam in generali prædixerunt, modum in speciali non determinarunt, 3. Præsumptiones ipsis prædictiones hæ, non prophetiæ indubitatae fuerunt. 3. Eventus illis quod in quibusdam respondit, ex accidenti venit. In multis namque aliis, æquè ab illis prædictis, aberravit. 5. Quid quod neuter horum, propheta & dici & haberi voluit? Quid igitur illorum exemplum Fanaticorum quemquam juvare possit?

*Dicimus denique 5.* objectum propheticarum harum revelationum esse illicitum. Quia Scripturæ contrarium. Concernit namque futuras sæculi hujus immutationes, instantis item extremi diei determinationes. At hæ nobis in scripturis partim definitæ, præcisè partim denegatæ. E. & omnis de iisdem revelatio, prophetia & prædictio denegata.

### DE FANATISMO CHILIASTARVM.

*Quæsitum est 1. Quæ Chiliastarum de ultimo gratiæ sæculo sit sententia?*

1. Docent Chiliastæ veteres, Christum ante diem novissimum, è cœlis in terram rediturum, pios defunctos resuscitaturum, ac cum illis, ut etiam iis quos vivos inventurus sit, oppressis omnibus impiis, vitam corporalibus delictis abundantem, per annos mille in his terris exacturum, inchoato terreno, corporali ac visibili regno, & finitis demum mille regni istius annis, consummationem sæculi & universalem carnis resurrectionem esse secuturam. Vi-

D

deatur



deatur Ep. her. 77. p. 859. imprimis Lact. Instit. l. 7. c. 24. & ib. Betul. p. 527.

2. Dicti Chiliastæ à Græco nomine χιλιάς quod numerū mille continentem significat; eò quod regnum hoc mille annos duraturum somniarent. Unde Augustinus *Miliarios*, alii in communi *Millenarios*, ab adjuncto regni sui numero, appellant.

3. Chiliasticæ hujus opinionis primus autor scribitur Cerinthus hæreticus, Eusebius l. 3. *Histor. Ecclesiast.* c. 25. & 7. 23. Sectatores ex Patribus, quod dolendum meritò est, extitère non infimi subsellii, Iustinus, puta, Martyr, Papias Episcopus Hieropolitanus, Tertullianus, Apollinarius, Victorinus Pictaviensis, Nepos Ægyptiorum Episcopus, & Coracion cum suo Collegio, Lactantius Firmianus, Severus Sulpitius, alii, Euseb. l. 3. c. 39. & 7. c. 22. 23. 34. Hieron. in *Catalogo Illustr. Vir. c. Pap. & lib. 11. in Ezech. c. 36. & præfat. lib. 18. in Esa. & c.*

4. Recentiores Chiliastæ habentur, 1. *Anabaptistæ*, quorum error recitatur & damnatur *Art. Aug. Conf.* 17. Monasterienses, qui Chiliarchiæ imperium gladio propugnare annitebantur Anno 1535. Aug. Weberus pellio Württembergicus, Thomas Müntzerus, Pfeifferus, furfarris hujus alii. 2. *Ex pontificiis* Liber Onus *Ecclesiæ* dictus, Anno 1524. vid. D. Gerhard. Tom. 9. *de consum. seculi*, c. 7. §. 76. 3. *Ex Arrianis*, Iohan. Erasmus, qui regnum Papæ circa annum Christi 1588. eversum iri, & regnum mille annorum subsequaturum somniabat, *Disp. adversus Tyræ. Jesuit.* Vide D. Cramer. *de Regno Christi part. 2. c. 4. p. 305.* 4. *Ex Photinianis*, Faust. Socinus in *miscell.* p. 50. 69. D. Gerhard. §. 73. 5. *Ex Calvinisticis*, Piscator, Mornæus, Brocard. D. Gerhard. §. 77. 6. *Ex Enthusiasticis* aliis, Nathanael Ælianus, Anno 1598. David Georgius Basiliens. Franciscus Puccius, Anno 1592. Ezechiel Meth Anno 1616. Paracelsistæ, Fratres rosæ crucis, qui terminum regni Chiliastici definiverunt circa Annū Christi, 1621. 22. 23. Gerhard. §. 7. 5. 7. *Ex Neotericis nostratibus* Paulus Nagelius, Paulus Felgenhauer, Paulus Grabnerus, Iohann Plaustrarius & novissimè Leo ex Sylva, Iano Henuriades, alij.

5. Et hi quidem regni sui Chiliastici describunt primo prodromum. Secundo Ingressum Tertio, progressum. 4. Egressum. *Prodromum* constituunt, 1. Papæ, Romæ & totius regni Papistici, plenariam excisionem, cujus initium definiunt Annū 1623. Mense Mart. totalem exitum, Annū 1624. alij Annū 1635 Nagel. *part. 2. explicat Cometa, G. 2. a. b.* itémque Cursu quinquen. c. 8. & 11. Grabnerus in *Conjecturis*, A. 3. a. b. & 4. ab. Plaustrar. in *revelat. mirif.* F. a. Leo ex Sylva, Flor.



*Flor. proph. p. 1. quæſt. 2. & 3. & p. 3. quæſt. 6. n. 6. pag. 33. & n. 7. pag. 35. Henu-  
 riades Apocal. theſ. 19. 2. Domus Austriacæ ſuppreſſionem, Plauſtr.  
 l. all g. Cario, Herman. Theopraſt, in prognosticis conjunctum 1621. edi-  
 tis fol. 44. 29. Leo de Sylva, alleg. p. 3. quæſt. 9. 44 3. Iugi Hiſpanici in An-  
 no 1624. excuſſionem, Grabner. A. 3. b. Leo de Sylva Flor. proph. p. 3. fol.  
 35. 4. Imperij Romani plenariam everſionem. Nagel. part. 2. Com. all.  
 Plauſtr. ibid. 5. Prædictionum prophetarum, Chriſti, Eſdræ, l. 4. c. 15.  
 de noviffimis diebus, A. 1621. 22. 23 perficiendam, impletionem, Nagel.  
 curſ. quinquen. c. 8. 6. Iudicij magni executionem, Nagel. curſ. c. 11. 2.  
 Ingreſſum referunt in Annum 1624. Nagel. curſ. quinq. c. 10. Grab.  
 A. 4. a. Et quidem determinatè in menſem ejuſd. anni Auguſt Nagel.  
 prodrom. Aſtr. Apocal. c. 2. D. 1. Auctorem designant primarium Chriſtum  
 vel Spiritum S. Secundarium ſive adminiſtrum, Leonem de Septentrio-  
 ne, Nagel. curſu quinquenn. capit. 10. quem Fridericum Palatinum  
 putant Plauſtrarius p. 4 & Leo ex Sylva Flor. Proph. pag. 1. quæſt. 8. Ian.  
 Henuriad. Apocalypſ. theſ. 13. Incolas verò ſolos Sionitas fideles, ſan-  
 ctos, populum pacificum, extinctis incredulis omnibus, Nagel. par. 2.  
 Com. E. 2. b. curſ. quinquen. c. 10. & 11. Item, prodrom. Aſtr. olog. Ap ca-  
 lypſ. c. 6. 3. Progreſſum determinant I. Forma ſive admiſtrationis  
 modo, quem perficiendum dictitant ſpiritali ſanctitate, puritate, pi-  
 etate, juſtitia, tràquillitate, perfectione, virtute, victoriâ, &c. 2. Effectis,  
 qualia, Evangelij per univerſum orbem prædicatio, extremarum orbis  
 inſularum cõverſio, uniformis religionis profeſſio, omnium myſterio-  
 rum Scripturæ S. & ipſius naturæ revelatio, omnium terræ fructuum  
 abundantiffima productio, lætitiâ & jugis incolarum regni hujus ſabba-  
 tici aurei & angelici, exultatiõ, prædictionum Apocalypſicarum capp.  
 4. 12. 20. & 22. adimpletio &c. Nag. Comet. part. 1. D & E. curſ. quinq.  
 6, 7. & 11. Leo & Sylva, Flor. Proph. part. 3. quæſt. 6. pag. 36. 4. Egreſſum  
 in decurſum mille annorum Apocalypſicorum, determinatione quã-  
 vis ambigua, referunt. Nagelij enim opinione, millenarius Apocalypſi-  
 cus continet annos noſtrates vel 30, vel 24. Si 30. egreſſus regni Chilia-  
 ſtici caderet in Annum 1654. Si 24. caderet in Annum 1648 At in pro-  
 dromo Aſtron. Apocal. D. 3. egreſſum refert in annum 1666. Felgen-  
 hauer definit ab anno 1620 annos 45. ita caderet in 1665. vide Chronol.  
 art. 5. fol. C. 3. a. Tilnerus, citante Kleopa Heren, in kanonib. puerilib. p. 1.  
 definit ab an. 1612. annos 34. & ſic caderet in 1646. Alii aliter. Hæc Chi-  
 liaſtici Neotericoꝝ regni ſtrues eſt. De Chiliaſtis, in cõmuni vidi Phil.  
 Mel. in hoc Tit. de regno Chriſt. Prat. Elench. hæc. p. 128. 374. Nic. Theſa.  
 Orth. 4. p. 400. &c.*



*Quæsitum est II. Num veteres Ecclesie patres, Papias, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, regni Chiliaſtici voluptates tantum spirituales, An verò etiam corporales, cibi, potus, generationis &c. citra tamen peccati contaminationem, crediderint?*

Est qui prius affirmet, posterius neget; Nos prius negamus, posterius affirmamus. *Quia 1.* de Papiâ scribit Eusebius *l. 3. Hist. Eccl. c. 39.* quod docuerit Chiliaſticum regnum futurum in hac terrâ *corporaliter*. Intellexisse item spirituales sive mysticas Apostolorum traditiones *corporaliter secundum literam*, quum fuerit vir exigui sensus. Nicephorus ait, accepisse eum promissiones *crassius, l. 3. c. 20.* Ex naturâ E. aduersorum non potuit intelligere tantum spiritualiter.

*Quia 2.* Chiliaſtæ crassiores in communi voluptates regni sui de delitiis & epulis corporalibus, carnalibus, venereis, intellexerunt, *sicut nunc fit in hoc seculo quotidie*, recte Philastrio & Aug. *de hæres. 8. Tom. 6. col. 15. E. & Papias.* Intellexit eam *crassius.*

*Quia 3.* Dionysius Alexandrinus Irenæum peculiari libro refutavit, in quo mille annorum fabulam, nuptias item, partus liberorum, epularum delicias &c. irrisit, asserente Hieronymi *præfat. lib. 18. sup. Esai.* Afferit idem Irenæum fabulas Iudaicas de gemmata Hierosolyma credidisse, *in cap. 36. Ezech. Tom. 5. p. 507. B.*

*Quia 4.* Tertullianum in *lib. de spe fidelium*, præcipuum Iudaicarum & Chiliaſticarum fabularum propugnatorem fuisse Hieronymi *all. loc.* evincit. Augustinus eundem Papiæ sententiam de cibo & potu comprobasse scribit, *lib. de dog. Eccl. c. 55.*

*Quia 5.* Lactantius ipse *l. 7. c. 24.* expressis verbis generationis & sobolis mentionem facit, aliasque Chiliaſtici regni voluptates corporeas, quæ modam ipsius incredulitatis excedunt, & non nisi à carnalibus credi possunt, quæ verba sunt Augustini *l. 19. de civitate Dei c. 7.* exprimit. Nec obstat nobis in alleg. Augustini loco Ludovicus Vives. Sentimus namque cum ipso patres veteres in omnibus Cerinthi sententiam Chiliaſticam non approbasse. Fovit enim is portentosa multa fabularum Iudaicarum, quæ patribus non imputamus. Voluptates autem corporales, sine tamen peccati macula, regno suo Chiliaſtico ipsos attribuisse, negare ob adducta testimoniorum momenta non possumus.

*Quæsitum est III. Quid de Chiliaſtico tam veterum quam recentium Chiliaſtarum regnò statuendum sit?*

Stat



Statuimgeſſe cōmentitium. Quia I. eſt ἀγρᾶφορ ſcripturis ſacris non contentum, ſed traditionibus partim Apoſtolicis, oraculis Sibyllinis, poëtarum carminibus, revelationibus partim & afflatibus divinis, ſomniorum viſis, cœleſtium conſtellationum figuris, phænomenis, &c. merè innixum. Paret id tam veterum quàm recentium Chiliaſtarum exemplo. Primus hujus opinionis in Eccleſia auctōr Papias, ad traditiones Apoſtolicas provocavit, teſte Euseb. l. 3. c. 36. ad Sibyllina oracula Lactantius, l. 7. c. 24. ad Poëtarum carmina, Tertullianus, l. 3. cont. Marc. c. 24. Itēque Lactant. alleg. loc. At revelationes, inſpirationes & afflatus particulares divinos, recentiores in communi fermè omnes, Nagelius, part. 1. Eplicat. Com. D. 3. b. & ſeq. Curſ. quinquen. c. 4. & alib, Leo ex Sylva, Flor. proph part. 3. queſt. 10. pag. 46. Plauſtrarius, Revelat. mirif. D. 1. a. & 4. 6. Felgenhauer, Chronolog. c. 3. a. Ad ſomniorum viſa & cœleſtia phænomena, Plauſtrar. alleg. l. D. 1. a. alij, quos introducit Nagelius, Calend. Anni 20. c. 3. C. 3. b. ad conſtellationum figuras, Nagel. prodrom. Aſtrum. Apocalyps. Eplicat. Comet. p. 1. & 2. per tot. At ſingulis iſtis qua ratione fides Chriſtiana ſuffulciēda cum extra & præter, imò contra ſcripturam dicātur, adeòque eidem 1. ſint cōtraria. 2. incerta. 3. pseudographa 4. poëtica figmenta. 5. fallacia. 6. inania. 7. verè fidelibus interdicta.

Quia II. eſt ἀντιγρᾶφορ ſcripturis è diametro contrariū.

1. Quoad ſeculi designationem. Nominat enim ſeculum tertium. At ſcriptura dno tantum novit mundi ſecula, 1. Veteris, 2. Novi Teſtamenti, quod & ultimum nominat, Heb. 1. 1. 1. Timoth. 4. 1. Ioh. 4. 1. 2. Pet. 3. E. non exſpectandam, in hoc mundo tertium, alioquin ultimum nō eſſet ultimum. In ſeculo hoc ultimo erunt apoſtatae. Antichriſti, empectæ, allegat. loc. E. non erit ſabbaticū, aureum, angelicum, in quo non niſi ſancti, ſublatis è medio impijs, erunt.

2. Quoad domus Auſtriacæ ſuppreſſionem. DEVS enim eſt, qui removēt reges & inſtituit reges. Daniel. 2. 21. Qui generationem præterire & generationem advenire finit, Eccleſ. 1. 4. Qui omnes dies uniuſcujuſque ſcriptos in libro ſuo habet, Pſ. 139. 16. Hic quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus & inſtigabiles viæ ejus? Quis igitur cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Rom. 11. 33. Si cum Nagelio dicent, Dominum nihil facere quin prius communicet ſervis ſuis prophetis: oſtendāt nobis ſe ſervos & prophetas Domini. Prohent ſibi hoc à Domino communicatum. At unde utrumque oſtendent, probabunt? Hic velut mus in pice hærebunt.



3. *Quoad regni Papistici totalem excisionem.* Illud enim excindet Dominus non flamma & ferro: sed spiritu & verbo. Non per Leonem ex Sylva Sarmatica, sed per Dominum nostrum Iesum Christum, Leonem ex tribu Iuda. Non ad seculi Chiliaistici imminentis terminum, sed ad ultimum Christi adventum, *vid. 2. Thes. 2. 8.*

4. *Quoad Imperii Romani everisionem.* Erit enim illud regnum mundi monarchicum quartum & ultimum. E. non expectandum Chiliaisticum quintum. Durabit ad mundi interitum, E. non ad regnū saltē Chiliaisticū. Comminuto eo eriget Dominus de cœlo regnum in æternum duraturum. E. non Chiliaisticum, *Dan. 2. 40. 44.*

5. *Quoad Prophetarum, Christi & Apostolorum, de ultimis diebus predictionum impletionem.* Perficietur isthæc. At non proxime ante regnum Chiliaisticum, anno scilicet demum 1621. 22. 23. sed ante ultimū Christi ad iudicium adventum, (qui unicus, non gemitus erit) ubi fientur ei, non soli Sionitæ fideles, sed omnes gentes, oves & hirci, boni ac mali: singuli sententiam suam audituri, & executionem sententiæ latæ expectaturi. Id quod Christus partim similibus, perspicuis partim ac exsertis verbis exponit *Matth. 24. & 25. per totum.* Et tunc erit finis non seculi solum secundi: sed consummationis seculi universi, *1. Cor. 15. 24.*

6. *Quoad iudicii magni executionem.* Fiet ista: at non sub regni Chiliaistici primordium, sed cœlestis regni ingressum. Non adversus bestiam solam, sed omnem carnem. Immediato namq; nexu copulantur, Christi adventus & universalis omnium hominum simultanea resurrectio, *Dan. 12. 2. Iohan. 5. 28. 1. Thes. 4. 16. 1. Cor. 15. 22.* & iudicij extremi administratio, *Matth. 25. 31.* & seculi huius consummatio, *Esai. 66. 15. 2. Pet. 11. 3. Apocal. 21. 1.* & piorum in cœlum translatio, *Matth. 25. 34. 1. Thes. 4. 17.* & impiorum damnatio, *2. 18. 9.*

7. *Quoad Regni Christi conditionem.* Illud enim non est corporale & mundanum, *Iohann. 18. 36. 39. Matth. 22. 25. 28.* multò minus consistit in cibo & potu, *Rom. 14. 17.* nuptijs & generatione, *Matth. 22. 30.* Sed est spirituale, *Luc. 21. Rom. 14. 17. 2. Corinth. 10. 4.* cœleste, *2. Tim. 4. 18. Ephes. 1. 20. Heb. 1. 3. & 8. 1.* æternum, *Psal. 89. 30. Daniel. 2. 2. 44. Luc. 1. 34.*

8. *Quoad incolarum regni huius qualificationem.* His enim non promissæ in hac vita chiliaisticæ delitiæ ac beatificationes, sed non nisi militiæ, *Iob. 7. 1.* ac tribulationes, *Pf. 34. 30.* tentationes, *Syr. 2. 1.* persecutiones, *2. Tim. 3. 13.* flagellationes, *Heb. 17. 6. &c.* per quas illis introeundum,



*De Fanatismo Chiliaſtarum.*

29

eundem regnum, non Chiliaſticum, ſed cœlorum, *Act. 14. 22.* Non 2. omnimoda ab impiis ſeparatio: ſed perpetua eum iisdem in hac terra mixtio, *Matth. 13. 30.* eaq; utrinq; non ad regnum uſq; Chiliaſticum ſaltem duraturæ: ſed ad finem uſq; ſeculi continuaturæ, *Matth. 24. 30. & 25. 32.* Non 3. ad regnum Chiliaſticum in hac vita revocatio: ſed ad regnũ æternæ vitæ reſuſcitatio, *Matth. 25. 34. Ioh. 14. 3. 1. Theſſ. 4. 12.* Non 4. regni millenarii, ex Nagelii opinione, acquiſitio; ſed æterni regni poſſeſſio, *Dan. 7. 18.*

9. *Quoad Evangelii in eodem per univerſum orbem prædicationem.* Fiet enim illa *Matth. 24. 14.* At non in ſeculo demum tertio Chiliaſtico, cui neq; PſeudoChriſti, neq; Pſeudoprophetæ, neque increduli ex Chiliaſtarum ſomnio, intererunt; ſed in ſecundo hoc ſeculo, in quo multitudo tam Pſeudoprophetarum quàm ſeducutorum incredulorũ erit, *Matth. 24. 11. 24.* Ita ut filius hominis ad iudicium univerſæ carnis veniens, vix fidem ſit inventurus, *Luc. 18. 8.*

10. *Quoad articuloꝝ temporum eiusdem determinationem.* Noſtrum non eſt ſcire articulos reſtaurandi regni Iſraëlis, *Act. 7. 1.* De die iſto nemo novit &c. *Marc. 13. 31.* At iſti definiunt non tantum annũ, menſem & diem, quo regnum Chiliaſticum inchoandum, Anno ſcilicet 1624. Menſis Auguſti die 30. ſed & quo finiendum, nimirum vel Anno 1645. vel 54. vel 66. Norunt. E. ultimũ mundi, & primum regni æterni terminum, quem Angeli non norunt quem Filius hominis non novit, quẽ Pater ſibi ſoli reſervavit. Vah quanta hæc eſt impudẽtia!

*Quia III. carioſis iſq; contrarijs, ludicris, lubricis, ineptis ac falſis fundamentis eſt ſuperſtructurum.*

Nec enim 1. de iſtis principijs inter regni huius patronos convenit, cum de qualitate, tempore, modo & ſubditis ejuſdem Andabatarũ more pugnent, *vide hic Gerh. Tom. 9. c. 7. §. 79.* Adde iſtis unum, In cõmuni Chiliaſtæ regno ſuo angelico totalem Imperij Romani everſionẽ præmittunt. Jano Henuriades ejuſdem non everſionem, ſed reformationem aſſerit, *Apocalipt. theſ. 32. 33.* Leo ex Syiva iudicium primum ſive minus ſuper beſtia (Imp.) futurũ aſſerit Anno 1623. poſt. 21. Mart. *ex Ap. 14* Poſt paucos deinde annos ſecuturũ regnum ſecundum perficiẽdum per Chriſtum ipſum, *ex Apoc. 19. 19.* Deniq; poſt decurſum mille annorum, iudicium univerſale ſubſecuturum, *ex Apoc. 20. Flor. propb. part. 1. quæſt. 5. p. 13. & quæſt. 10. p. 24.*

2. Fundamentales regni ſui leges in numeris Apocalypſicis, quos ſacroſanctos dictitant, ponunt. Eoſdem miſerè per triangulum & quadrantem addẽdo, ſubtrahendo, multiplicando, detrahendo, torquent,

torquent



tornant, lacerant, dilaniant ut quod intendunt eruere inde queāt. Cape exēplū subtilitatis hujus mystico-cabalisticæ unum. Statuit Paulus Nagelius, annos mille regni Chiliaistici Apocalypticos constituere annos nostrates 30. Ecur hoc? Arrige aures! *Quia numerus 1000. continet 3. nullas 000. jam scribe 3. & 00 habebis 30.* Vah mirandam subtilitatem Chiliaisticam! Ad hīc Antinagelium M. Philippi Arnoldi *lit. E. K. L. & vanitates hujusmodi plures deprehendes. Omnes ineptæ, frivola.* Quid enim numeris istis incertiū? Cū quædā. 1. exemplaria in *Apoc. 13. 18.* omnia verò *Apoc. 204.* non numeros, sed verba, *sexcenta sexaginta sex.* Item mille annos, in græco habeant *Quedam, 2. Apoc. pro lit. E. habent 6.* Ex ipsa 7. per alphabetariam cabalam indiversissimos, jã olim ab anno 1000. variè deducta: de quibus vide *Petri Bongi Bergoni, Mys. numer. signif. de numero 666. p. 153.*

3. Præcipua ejusdem fulcra constituunt distortas allegorias & aniles ratiocinationes, Lege Nagelij *Prognostic. Explic. Comet. Prodrom. Astronomiæ Apocalyp. Evolve Plaster. Revelat. mirif.* Inspice Leonis è Sylva *florem proph. & fatuitates allegoricas spirituum horū non ride, sed desce, si potes. Considera ipsorū rationes, & funiculos ex arenā deprehēdes.* 4. In plerisq; principiis suis prognosticis deprehensū hucusq; sunt Chiliaistici regni patroni vani, fallaces & falsi, Vide Nag. *Cur c. 5. 6. & 7. alios, & quid de sequentibus tibi sperandum fuerit, judica.*


*Quia IV.* eidem ab orthodoxis patribus & Ecclsiæ Doctoribus hucusque unanimi consensu è scriptura sacra contradictum. Testimonia quære apud Gerhar. *all. l. 88. Argumentorum præcipuorū Chiliaisticorum solut. 89. 98. Adde Crā. de Reg. Christi part. 2. quest. 4. p. 311. ad 314.*

*Quæsitum est. IV.* Num Fanatismus hic Chiliastarum tam veterum quam recentium publicè in Ecclesia sit refutandus; An verò ad impletio eorum, quæ certis sub annis subsecutura quidam prædixerunt, expectanda?


Refutandum omninò fanatismum hunc publicè judicamus. *Quia 1.* verbo DE IÈ diametro, per ea quæ *Quæsitio* præcedenti. 7. demonstrata, cōtrarius. *Quia 2.* à primitivæ Ecclesiæ patribus, dictis, scriptis, cōcionibus, disputationibus, publicè & privatim, per ea quæ *quæsitio 2.* proposita, quovis tēpore refutat. *Quia 3.* articulo Augustanæ Cōfessionis XVII. publicè improbatus *Quia 4.* à Theologis sinceris Aug. cōfess. addictis, Luca nempe Osandro Patre. *Cent. 7. Eccl. c. 4. D. Luca Osandro, Filio, in admonitione de corruptelis per fanat. sparsis folio 40. 63. &c. D. Huttero Loco The. fol. 873 a. & 864. b. D. Mylio, Menzero Sig V Varto, in art. Aug. Conf. 17. plurimis aliis, publicè ut erroneus reject.* *Quia 6.* si impletio prædictorū nobis ad annos à fanaticis hīs determinatos sub cōducto silētio expectāda esset, quid quæso aliud fieret, quā quod prophetas istos 1. in errore suo cōfirmare, 2. Fanatismo eorundē planā viam aperiremus, 3. Propagationi eiusdē ansā præberemus, 4. Præsumptiones aliis, quasi error iste veritatis quandā speciē haberet, non sine scandalo excitaremus, 5. Doctrinā nostram de veritate & certitudine testimoniorum scripturæ prædictorū, dubiam ac suspectam, redderemus, Si enim ista certa est, quid prophetica impletio Chiliaistica nobis expectāda est? Si hæc nobis expectāda est, quī doctrina nostra certa esse potest? Fatuitatē nostram toti orbi conspiciendā propinaremus. Annon enim anni prædictionum Chiliaficarū præterlapsi aliquot? His quæ certitudo respondit, nisi quod montes parturivère & ridiculi mures prodire! similēsne & in posterum expectabimus? Cavebimus.

De reliquis in disputationis cursu conferemus. FINIS.














B.I.G.

Farbkarte #13



A.  
*ologica,*

SVENCK-

ET ALIORVM,  
SCRIPTO AC  
ATO;

RVM AC RECEN-  
hoc ultimo seculo  
seculo;  
tem,  
E

DO DIE-  
OLOGIAE

iarum ulma-  
endente,

*astico ad d. 24. Octob.*  
*seret*

ES *L*berkin

ESIAE JUNGIN-  
ister.

Æ  
m, *Typis Rbetianis*  
XXII.

